

posuit Christum, ut supra eum opera justitiae locaremus: quia fides fundamentum est.<sup>1)</sup> In operibus autem aut malis iniquitas, aut bonis justitia est.

### DE BENEFICENTIA.

Sed jam de beneficentia loquamur, quae dividitur etiam ipsa in benevolentiam et liberalitatem. Ex his igitur duobus constat beneficentia, ut sit perfecta. Non enim satis est bene velle, sed etiam bene facere. Nec satis est iterum bene facere, nisi id ex bono fonte, hoc est, bona voluntate profiscatur. Hilarem enim datorem diligit Deus.<sup>2)</sup> Nam si invitus facias, quae tibi merces est? Unde Apostolus generaliter inquit: Si volens hoc ago, mercedem habeo: si invitus, dispensatio mihi credita est.<sup>3)</sup> In Evangelio quoque multas disciplinas accepimus justae liberalitatis. Pulchrum est igitur bene velle, et eo largiri consilio, ut prosis, non ut noceas. Nam si luxurioso ad luxuria effusionem, adultero ad mercedem adulterii largiendum putas; non est beneficentia ista, ubi nulla est benevolentia. Officere enim istud est, non prodesse alteri, si largiaris ei, qui conspiret adversus patriam, qui congregare cupiat tuo sumptu perditos, qui impugnant Ecclesiam. Non est haec probabilis liberalitas, si adjuves eum, qui adversus viduam et pupilos gravi decernit jurgio, aut vi aliqua possessiones eorum eripere conatur. Non probatur largitas, si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat: si injuste quaerat, et juste dispensandum putet; nisi forte, ut ille Zacchaeus, reddas quadruplum prius ei, quem fraudaveris:<sup>4)</sup> et gentilitatis vitia fidei studio et creditis operatione compenses. Fundamentum igitur habeat liberalitas tua. Hoc primum quaeritur, ut cum fide conferas, fraudem non facias oblatis, ne dicas te plus conferre, et minus conferas. Quid enim opus est dicere? Fraus promissi est: in tua

1) 1 Cor. 3. 2) 2 Cor. 9. 3) 1 Cor. 9. 4) Luc. 19.